

supplet ætatem *c. Continebatur.* et *c. 4.* de Despons. impub. *c. fin. eod.*; ergo etiam in sponsalibus. *Prob. seq. Maj.* Quando utrobique est eadem ratio aliquid statuendi, non potest præsumi, quod jus circa unum sic, circa alterum aliter statuerit. arg. *L. Illud. ff. ad legem Aquiliam.* Sed utrobique hic est eadem ratio: nam sicut ratio statuendi certam ætatem pro matrimonio est potentia generandi; ita pro sponsalibus usus rationis: ergo sicut nihilominus in matrimonio malitia supplet ætatem; ita etiam in sponsalibus.

R. 1^o. Retorq. arg. Ergo quod jus disposuit circa matrimonium clandestinum, etiam disposuit circa sponsalia clandestina, quod est saltem contra communem. Item, ergo sicut matrimonii vinculum est jure divino nulla superveniente causa solubile, ita sponsalia, etc.

R. 2^o. N. seq. Maj. Ad prob. N. min. cum ejus prob. Nam disparitas est, quod jura speciali ex ratione in matrimonio voluerunt sufficere pubertatem naturalem; scilicet ob periculum incontinentiæ, fornicationis, cui malo non satis occurrissent, si præcise pubertatis legalis, non etiam naturalis haberi rationem voluissent: sed hæc ratio cessat in sponsalibus; proinde decisio facta circa matrimonium ad sponsalia extendi non potest. Imo eo ipso, quod jura illud expresserint duntaxat in matrimonio, scilicet in hoc malitiam supplere ætatem, non item in sponsalibus; clarum signum est, quod in his dispositionem indefinitam, et ordinarium juris intellectum limitare non voluerint, sed potius firmare juxta vulgare: *exceptio firmat regulam*; et proportionaliter aliis actibus a certa ætate pendentibus, ac supra memoratis nullitatem inducere defectu ætatis requisitæ.

232. *Obj. III.* Saltem non est necesse, ut septennium sit perfecte completum; sed sufficit esse completum moraliter, h. e. licet adhuc desit mensis, vel dies; ergo.

Prob. Ant. 1^o. Juxta axiomata philosophica, et ex usu Juristarum: Quod parum distat, nihil distare videtur. *Arist. 2. Phys.* Parum pro nihilo reputatur. Proxime accingendus habetur pro accincto. *L. penult. ff. de Testam. milit. 2^o.* Ultima dies in favorabilibus habetur pro completa: sic in favorem testamenti conceditur impuberi, ut testamentum condere possit ultima die: atqui sponsalia sunt causa favorabilis. *3^o.* Licet jura certos annos præscribant ordinibus suscipiendis; sufficit tamen ultimum diem esse inchoatum; ergo a pari sufficit ad sponsalia saltem ultimum diem esse inchoatum. *4^o.* Septennium determinatum est propter præsumptionem usus rationis; sed ex defectu unius alteriusque diei non cessat illa præsumptio.

R. N. Ant. Sed debet esse perfecte completum ad momentum; sicut tempus determinatum ad professionem religiosam, quæ, nisi impetrata fuerit ætatis venia, non potest emitti valide, nisi ultima dies anni decimi sexti sit ad momentum completa; idque ex eo capite, quia hoc tempus a jure præscriptum est, et ideo determinatum, ne quis suo judicio, vel arbitrio illud mutare possit. Unde

Ad 1^{um}. *R.* Illa axiomata solum locum habent in rebus arbitrariis; quando jura non præscribunt actui certam et completam ætatem, sive tempus. Hinc retorsio est in professione religiosa; item de anno probationis, qui ei præmitti debet.

Ad 2^{um}. *R. D.* In mere favorabilibus *T.* Non enim hoc certum est, ubi

jus aliquid specialiter non excipit. In aliis *N.* In sponsalibus vero contrahitur gravis obligatio et onus, uti publicæ honestatis. Testamenti factio est merus favor; hinc est disparitas. Præterea in factioe testamenti est specialis exceptio; hæc autem firmat regulam in oppositum.

Ad 3^{um}. R. C. Ant. N. Cons. Disparitas est, quod ex praxi Ecclesiæ, quæ est optima interpretis legis ecclesiasticæ, constet non exigi ab Ecclesia annos physice completos; sed nihil tale constat ex praxi quoad sponsalia. Deinde limitatio ætatis præscriptæ ordinibus quoad sufficientiam anni ultimi inchoati præcise ordinandorum favorem spectat. Denique jura, dum agunt de ætate requisita ad ordines, plane aliis utuntur terminis, quam ubi agunt de sponsalibus; nullibi enim dicunt, ante eos annos, quos præscribunt, completos non posse suscipi ordines, aut ita susceptos esse nullos et irritos; sicut tamen statuunt de sponsalibus. *Desponsationes ante septem annos fieri non possunt. c. Accessit cit. etc.* Vid. conclus.

Ad 4^{um}. N. min. Nam præsumptio illa est præsumptio juris, non hominis; ergo procedit universaliter, nec arbitrio privati hominis mutari potest; sicut tempus professioni religiosæ præscriptum.

ARTICULUS IV.

AN VALEANT SPONSALIA CLANDESTINE CONTRACTA? VEL SINE SCITU ET CONSENSU PARENTUM? ITEM METU GRAVI INJUSTO EXTORTA?

233. *Notandum I.* Metus dicitur trepidatio mentis periculi instantis, vel futuri causa, *L. 1. ff. quod metus causa.* Alius est *gravis*, qui cadit in constantem virum, ut quando malum, quod timetur, est ejusmodi, ut virum etiam fortem movere possit ad faciendum, quod alias facturus non esset. Alius *levis*, qui ab homine constante facile superabilis est, quia malum, quod timetur, est leve. Metus gravis iterum alius est absolute, alius respective gravis, sicut malum, quod timetur, potest esse vel absolute grave, vel respective. *Absolute* vero *grave* est, quod omnes, vel plerique habent pro gravi, quale est mors, mutilatio, cruciatus corporis per dura verbera, gravis infamia, jactura status vel bonorum et similia. *Respective grave* est, quod est grave respectu aliquarum personarum, quæ sunt minus fortes, ut feminae, juvenes, viri meticulosiores. In dubio, fueritne metus gravis, vel levis, arbitrio judicis decidendum relinquitur. An vero *metus reverentialis*, quo liberi parentibus, subditi principibus, alii majoribus ex reverentia contradicere non audent, dicendus sit gravis, vel levis, controvertitur inter Doctores. Probabilius est, quod *pure reverentialis* ex se gravis non sit; alias enim nullus fere consensus a liberis præstitus, aut contractus ob reverentiam in parentes initus, vel subditum inter et dominum firmus esset. Fit tamen gravis, si accedant graves minæ, indignantium vultus, continuæ exprobrationes, vel alia signa gravis offensæ. Sic concilianur leges, quarum aliquæ metum reverentialem pro gravi, aliquæ pro non gravi habere videntur.

234. *Notandum II.* Metum hic alium dici *justum* (non eo sensu, quo alias metus gravis quilibet dicitur justus, eo quod merito ad aliquid possit impel-

lere, præscindendo an jure, vel injuria incutiatur) sed quia justa de causa incutitur a lege, vel magistratu. Alium *injustum*, sive per injuriam innocentem incussum : quod potest fieri vel *directe*, scilicet animo extorquendi consensum a metu passo, vel *indirecte* ob aliam causam, sic tamen, ut metum passus ejus occasione se metu liberaturus consensum præstet. Quæritur hic tantum de sponsalibus metu gravi injusto extortis; nam constat metum justum, vel levem non reddere invalida sponsalia.

235. *Dico I.* Sponsalia clandestine, sive sine testibus et Parocho contracta valida sunt, et per se licita. Est communis.

Et ratio est, quia nullo jure vel prohibita, vel irritata sunt. Dixi : *per se licita*; nam secus esset, si speciali quodam statuto diocesano essent prohibita.

Nec dicas ex clandestinitate sponsalium præsumi dolum, et sic facile cum pluribus posse contrahi sponsalia; nam primo dolus non præsumitur, nisi ubi clandestinitas alicujus contractus est prohibita; alias nullus contractus clandestinus liceret: sed hæc nullo jure prohibita reperitur in sponsalibus; jus enim novum Tridentini irritans contractum matrimonii clandestinum, cum sit correctorium juris antiqui, extendi ad sponsalia non potest. Deinde clandestinitas non est causa, cur quis contrahat cum pluribus, sed malitia. Non diffiteor tamen ex hac causa consultum esse, adhibere testes, ut sponsalia probari possint, si forte pars altera illa negaret.

236. *Dico II.* Sponsalia a liberis sine parentum consensu inita, licet ordinarie sint illicita; sunt tamen *per se* valida. Ita Catholici communiter contra Harprecht et alios heterodoxos Scriptores.

Prob. 1^a. p. Quod ordinarie sint illicita, facile inter omnes convenit, eo quod teneantur liberi vi præcepti IV. Decalogi revereri parentes, iis obedire; ideoque in re tam gravi eorum requirere consilium et consensum. Dixi : *ordinarie*; nam si parentes nullam contradicendi justam causam haberent, aut si consulerentur, injuste contradicendi essent sponsalibus honestis, liberos sine eorum scitu, imo contra eorum voluntatem contrahentes nec venialiter peccare censet Pichler de Sponsalib. aliique. Igitur

Prob. 2^a. p. 1^o. Conc. Trid. Sess. 24. de Reform. Matrim. c. 4. dicit anathema illis, qui dicunt, *matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata, vel irrita facere posse.* Ergo a fortiori valebunt sponsalia; si enim matrimonium, quod est indissolubile, contractum sine consensu parentum valet; multo magis valebunt sponsalia, quæ aliis adhuc modis dissolvi possunt. 2^o. Talia sponsalia valent jure naturali; jure positivo autem irritata non reperiuntur; sed ex hoc potius contrarium habetur; nam c. *Veniens* 13. h. t. sponsalia supponuntur valida, modo sponsus et sponsa, reclamantibus etiam parentibus, consentiant. Et arg. c. *Sufficit*. Caus. 27. q. 2. ubi ex decisione Nicolai Pontificis *sufficit secundum leges solus eorum consensus, de quorum conjunctionibus agitur.* 3^o. Si valor sponsalium a parentum dependeret consensu, durissima foret liberorum conditio, cum sic contrahere sæpe deberent cum iis, a quibus abhorrent. 4^o. Sponsalia pertinent ad electionem status de se perpetui, scilicet matrimonii, in qua liberi non dependent per se a voluntate parentum, sed obligationem, quam subeunt, propria voluntate contrahere debent, arg. c.

Cum virum. 12. de Regularibus. Adeo etiam, ut parentes propterea *præcise*, quod contra suam voluntatem contraxerint, nec exhæredare eos, nec dotem denegare possint, licet non teneantur dotare juxta statum et conditionem suam, sed satisfaciant, si dotem dent juxta conditionem mariti. Engel. hic §. 2. n. 7. Schmalzgr. cod. tit. num. 93.

Dixi : *per se*; nam si sponsalia essent promissio matrimonii ineundi in iis circumstantiis, in quibus ipsum iniri non posset, nisi cum gravi et peccaminosa parentum offensa, ut quia filius cum notabiliter viliori in familiæ dedecus contraheret; vel quia gravia inde scandala sequerentur, graves et diuturnæ dissensiones, etc. tunc enim sponsalia non tantum graviter illicita, sed etiam invalida erunt, cum ad impossibile vel inhonestum, quale esset eo casu matrimonium, nemo possit obligari; adeo ut ne jurata quidem promissio subsistat, c. *Quanto* 18. de Jurejur.

237. *Obj. I.* L. 7. ff. de Sponsal. ad valorem sponsalium requiritur consensus parentum, sub quorum potestate sunt liberi; ergo.

R. T. Ant. N. Cons. Ratio est; quod, postquam matrimonium ad dignitatem sacramenti est a Christo elevatum, ea, quæ ad matrimonium pertinent, ut sponsalia, nequaquam ulterius ordinationibus laicis, sed ecclesiastico foro duntaxat subjecta sint. Dixi T. Ant. Quia L. cit. non incongrue explicari potest dicendo, consensum parentum olim requisitum fuisse ad honestatem duntaxat sponsalium; verba enim legis sunt: *in sponsalibus etiam consensus eorum exigendus est, quorum in nuptiis desideratur.* Atqui ex legibus civilibus non satis solide evincitur nullitas matrimonii sine parentum consensu olim celebrati; leges enim sine consensu illo celebratas nuptias aiunt solummodo *injustas*, L. 18. ff. de Rit. Nupt. sed vox ea saltem æque *inhonestas* significare potest, quam invalidas. Sed de hoc plura, ubi de matrimonio.

238. *Obj. II.* Parentes possunt irritare sponsalia liberorum; ergo signum est non valere liberorum sponsalia, quæ sine consensu parentum contrahunt. *Prob. Ant.* Pater potest irritare vota liberorum; ergo multo magis sponsalia: si enim promissio facta Deo irritari possit, multo magis facta homini.

R. 1^o. N. Ant. Ad prob. R. C. Ant. N. Cons. Disparitas est; quia pater potest irritare vota liberorum, quatenus præjudicant patriæ potestati; Deus autem vel non acceptat vota, quæ tertio præjudicant; vel si acceptat, cedit iterum suo jure, si præjudicatur tertio. Sponsalia autem non sic præjudicant patriæ potestati; huic enim, cum sint juris publici saltem dispositivæ, non subjacent. Deinde liberi circa status electionem sui juris sunt.

R. 2^o. Si parentes possent irritare sponsalia; ergo hoc ipso essent valida, sicut votum, quod postea irritatur a patre; quod enim nullum est, annullari non potest.

239. *Obj. III.* Liberi tenentur requirere consilium parentum; ergo etiam sequi; ergo non sequendo contrahent invalide.

R. D. Ant. Tenentur ordinarie, et ex honestate C. absolute et de necessitate N. Sic D. 1^{um}. Cons. Ergo etiam sequi ordinarie, et ex honestate C.

semper, et de necessitate *N. D. etiam ult.* Non sequendo contrahent sponsalia invalide in casibus supra positis, in quibus matrimonium est illicitum *C. secus N.*

240. *Dico III.* Sponsalia metu gravi injusto extorta probabiliter valida sunt. Ita cum Haunoldo, Lessio, et aliis contra plures Theologos et Canonist.

Prob. I. Talia valent sponsalia imprimis, spectato *jure naturali*; nam hoc præcise spectato etiam matrimonium metu extortum valet, cum hoc sit irritatum solo jure ecclesiastico. Et ratio utriusque est, quia metus non tollit rationem voluntarii et liberi simpliciter, sed solum secundum quid; ergo adest adhuc sufficiens consensus, qui a jure naturali tantum requiritur. Deinde valent etiam *jure positivo*; quia juxta hoc valent regulariter actus metu extorti *c. 2. De his, quæ vi metusve causa. Et L. fin. C. eod. tit. ubi: quæ metu vel vi sunt, de jure debent in irritum revocari, vel infirmari: sed in irritum revocari, infirmari non potest, quod nunquam valuit, nunquam firmum fuit: nec ab hac regula generali sponsalia ullibi excipiuntur. ut constabit solutione objectionum.*

Prob. II. Non potest afferri ulla ratio efficax invaliditatis talium sponsalium; si enim aliqua foret, esset hæc, quam plures ex adversariis dare solent, ut ita melius consulatur metum passo: sed hæc ratio non est efficax; nam licet dicantur valere ejusmodi sponsalia, adhuc metum passo satis consultum est per hoc 1^o. quod metum passus possit petere et facile obtinere rescissionem contractus. 2^o. Quod jus naturale obstringat eum, qui metum injuste intulit, resilire a sponsalibus, si id exigat pars altera. 3^o. Imo metum patienti major favor præstatur, si dicatur valere ejusmodi sponsalia, quia habebit sibi obligatam partem alteram, potestque eam compellere ad standum contractu, si metum passo postea matrimonium placeat.

241. *Obj. I.* Irritum est matrimonium metu gravi injusto extortum *c. Veniens 13. c. Consultationi 28. h. t.* Ergo etiam sponsalia, si de his aliud in jure non sit expressum. *Conf.* Quod in jure statuitur de matrimonio, etiam de sponsalibus intelligi debet. *L. Oratio 16. ff. de Sponsal.* Atqui ex jure non valet matrimonium metu extortum, et de sponsalibus aliud in jure expressum non est; ergo.

R. C. Ant. N. Cons. Ratio est; quod de matrimonio ita specialiter sit a jure statutum juxta textus claros *c. Veniens cit., etc. et juxta c. Cum locum 14. eod.* nihil autem tale statuerit jus circa sponsalia. Ergo dicenda sunt valere juxta regulam generalem, qua regulariter valent actus metu extorti; item juxta jus naturale, quod plus non exigit, quam mutuum consensum, quem metus non tollit simpliciter.

Ad Conf. R. 4^o. Lex illa civilis post elevationem matrimonii ad dignitatem sacramenti in sponsalibus tanquam in re spiritali attendi non debet. Et ratio est, quod argumentum a matrimonio ad sponsalia non teneat universaliter, ut ipsi fateri debent adversarii. Deinde esto, quod lex illa vigeat,

R. 2^o. D. Maj. Quando eadem est ratio matrimonii et sponsalium *C. secus N.* Est autem hic valde dispar ratio; cum enim matrimonii valide initi, et carnali commercio consummati vinculum sit a nulla auctoritate humana

solubile *Matth. 19. v. 6.* sponsalia autem solvi variis modis possint; ideo matrimonium majorem præ aliis actibus libertatem merito poscit, et illud metu extortum, non vero sponsalia, irritandi specialis et æquissima ratio fuit, ut advertit Sanchez ipse adversarius *disp. 19. n. 3.*

242. *Inst. 1.* Matrimonium metu extortum principaliter nullum est jure naturali, et non tantum jure positivo; ergo etiam jure naturali irrita erunt sponsalia extorta; sunt enim inchoative matrimonium. *Prob. Ant.* In *c. Veniens et c. Cum locum cit.* aliisque jam supponitur nullitas matrimonii extorti tanquam inducta jure anteriori; sed hoc jus antè debet esse naturale.

Conf. 1. Si matrimonium extortum non esset irritum spectato jure naturali; ergo jus naturale non satis providisset indemnitati innocentis metum injustum passi.

Conf. 2. Jure naturali omne illud irritatur, quod repugnat fini matrimonii; sed huic repugnat consensus metu extortus, nimirum fidei conjugali, conjunctioni animorum, etc.

R. 1^o. Etiam si concedatur matrimonium hoc esse nullum jure naturæ, non ideo idem sequitur pro sponsalibus; nam, ex rationibus allatis, ideo præcipue matrimonium esset nullum jure naturali, quod hoc alias non satis providisset innocenti metum passo, cum tamen matrimonium sit insolubile; et quod metus repugnet fini matrimonii: sed hæc rationes cessant in sponsalibus; licet enim sint inchoative matrimonium; variis tamen modis solubilia sunt: item metum passus ea rescindere potest; nec obligant ad matrimonium *stante metu* contrahendum.

R. 2^o. N. Ant. cum communiore sententia, et veriore.

Ad prob. R. N. min. Jus enim illud antè potuit esse traditum vel scripto, quod postea intercidit, vel viva voce, vel consuetudine, vel traditione introductum; ergo non est necessario jus naturale. Sic in matrimonio *cultus disparitas* est impedimentum dirimens ex solo jure ecclesiastico, etiam juxta adversarios, licet in toto jure ecclesiastico non extet textus, quo primum tale matrimonium esset irritatum.

Ad Conf. 1^{am}. R. N. seq. Sufficiens enim metum passis Auctor naturæ consuluit, legitimo magistratui conferendo potestatem, conjugia metu extorta irritandi; sicut dando ejusmodi potestatem satis occurrit incommodis, quæ oriuntur ex nuptiis clandestinis. Deinde licet metum passus obligaretur metu incutienti, antequam a lege irritaretur tale matrimonium, jus naturale tamen istum ab incussione metus semper absterruit comminatione gravis pœnæ, et ad injuriæ compensationem obligavit graviter. Sicut ergo jus naturale, licet permittat illos irrevocabiliter obligari, qui dolosa simulatione divitiarum, etc. inducti sunt ad matrimonium, satis illis etiam juxta adversarios providit, quod dolosas ejusmodi simulationes, prohibuerit graviter etiam sub periculo malorum inde nascentium, et eum, qui dolo usus, obliget ad compensationem; ita hic.

Ad Conf. 2^{am}. R. N. Maj. Nam etiam repugnat fini matrimonii, si contrahens intendat non servare fidem, occidere proles, etc. et tamen matrimonium tale non est jure naturali irritum. Deinde illa mala non sequuntur necessario ex natura metus, sed ex malitia metum passi. Denique ut conditio

aliqua repugnans fini matrimonii irritet matrimonium, debet esse in pactum deducta c. fin. de condit. appos.

243. *Inst. 2.* In c. *Cum locum 14.* h. t. ubi declaratur irritum matrimonium metu extortum, datur ratio, quod *locum non habeat consensus, ubi metus, vel coactio intercedit*; ergo matrimonium metu extortum non valet jure naturali, quia juxta hoc requiritur consensus; ergo etiam spectato jure naturali irrita erunt sponsalia metu extorta ex defectu consensus jure naturali requisiti.

R. *D. Caus. Antec.* Locum non habeat consensus perfecte liber et spontaneus, qui ibi ad valorem exigitur a jure ecclesiastico *C.* consensus simpliciter voluntarius et liber, qui solum a jure naturali exigitur *N. Ant. et Cons. utramque.* In matrimonio jus merito majorem libertatem exigit, scilicet perfectam, et spontaneitatem; cum enim hoc insolubile sit, pars metum passam careret omni remedio se ab injuria liberandi: contrarium est in sponsalibus, in quibus spectato utroque jure naturali et humano sufficit consensus simpliciter liber, quem non tollit metus.

244. *Inst. 3.* Etiam jure ecclesiastico hæc sponsalia nulla sunt; ergo. *Prob. Ant.* Innocent III. c. *Ex litteris* de Despons. impub. permisit puellam impuberi desponsatam et in domum ejus traductam recedere, et alteri nubere, eo quod minis parentum impulsa fuisset; ergo supponit ea sponsalia metu extorta non valuisse; alias enim non permisisset eam recedere et alteri nubere.

R. 1^o. *N. Cons.* Sed potius eo ipso, quod Pontifex, ut verba sonant, *tribui facultatem* jusserit nubendi alteri, voluit *rescindi* sponsalia; ergo supponuntur valuisse; rescindi enim non potest, quod nunquam valuit.

R. 2^o. Permisso etiam gratis (non concessio) sponsalia illa fuisse invalida, *D. Cons.* Supponit ea non valuisse præcise ob metum *N.* ex defectu consensus simpliciter, et absolute *C.* Nam puella dicitur fuisse nolens et invita; ergo simpliciter non consenserat, sed tantum ejus parentes.

245. *Obj. II.* Non potest dari obligatio ad actum illicitum, et ipso jure nullum: atqui si valerent sponsalia, obligarent ad actum illicitum, et ipso jure nullum. *Prob. min.* Quia obligarent ad matrimonium, quod metu extortum illicitum et jure nullum est.

R. *N. min. Ad prob. D.* Obligarent ad matrimonium *stante metu* contrahendum, adeoque contrahendum illicite et invalide *N. cessante metu* contrahendum, adeoque dum hoc licite et valide contrahi potest *C. vel Subd.* Obligarent absolute et efficaciter *N.* ineffaciter et quasi conditionate, nisi metum passus velit instituere actionem *quod metus causa*, et sic cogere alterum in judicio ad rescindenda sponsalia, vel opponere exceptionem *quod metus causa*, eaque repellere alterum *C.* Nimirum sponsalia hæc metu extorta non obligant ad matrimonium, dum alter adhuc pergit metum incutere, ineundum; sed quando metus cessat, e. g. si desinat metum incutere, vel tertius, qui metum injecit, moriatur, etc. Item, si metum passus non vult uti actione, vel exceptione, *quod metus causa*; tunc enim consentire censetur. Unde exemplum et retorsio est in sponsalibus impuberum, clandestinis, raptorem

inter et raptam initis, quæ valida sunt, ut de duobus prioribus ostensum est supra; de ultimis est longe probabilius, cum jure solum irritetur matrimonium inter raptorem, et raptam, quod jus, cum sit correctorium juris antiqui, extendi non debet ad sponsalia; et tamen sponsalia impuberum non obligant, nisi ad contrahendum matrimonium in pubertate, nisi resiliant; clandestina, non nisi ad contrahendum in facie Ecclesiæ; raptoris et raptæ, non stante raptu, sed quando rapta loco est reddita tuto: ita hic.

246. *Inst. 1.* Metus, quo extorquentur sponsalia, influeret in ipsum matrimonium, etiam sublato metu; nam quidquid influit in obligationem tanquam radicem, influit etiam in objectum et effectum istius obligationis; ergo si sponsalia sint extorta metu, etiam sic extortum censebitur matrimonium.

R. *D. Ant.* Influere in matrimonium, sublato metu, absolute *N.* ineffaciter, et quasi conditionate, h. e. si metum passus nolit uti actione, vel exceptione *quod metus causa C.* Si vero hac uti nolit, hoc ipso confirmare censetur priora sponsalia, et libere omnino contrahit matrimonium, licet dependenter a prioribus sponsalibus. Hinc matrimonium cessante metu initum pendet a sponsalibus metu extortis fere sicut matrimonium a pubere, in facie Ecclesiæ, vel cum rapta extra raptoris potestatem constituta initum pendet a sponsalibus, quæ ab impubere, clandestine, aut cum rapta in raptoris potestate constituta sunt contracta; ac proin sicut matrimonii valori contracti in pubertate, in facie Ecclesiæ, cessante raptu non obstat impubertas, clandestinitas, raptus; ita nec metus. Et sicut ex eo, quod matrimonium impuberum, clandestinum, aut cum rapta a raptore detenta initum non valeat, male fertur sponsalia inita ab impubere, clandestine, aut cum rapta adhuc detenta esse invalida; ita iterum hic.

247. *Inst. 2.* Ponamus, quod metum passus volens rescindi sponsalia, non audiretur a iudice; vel, si audiretur, metum probare non posset; compelli posset a iudice ad ineundum matrimonium; hoc vero durum esset, quia cogere perpetuo vivere in statu violento.

R. Hoc casu matrimonium esset nullum. Deinde hoc incommodum æque sequi potest, ex supposito quod sponsalia illa essent invalida; nam etiam tunc si pars metum passa non audiretur a iudice, vel metum probare non posset, compelli posset ad matrimonium.

248. *Obj. III. 1^o.* Licet vota alia simplicia metu injusto extorta valeant; invalidum tamen est votum Religionis ingrediendæ metu injusto extortum, quia est via ad professionem religiosam; ergo etiam sponsalia, quia sunt via ad matrimonium. 2^o. Juramentum sponsalibus metu extortis adjectum est nullum; ergo signum est invalida etiam esse sponsalia. 3^o. Si valeant hæc sponsalia; ergo ex his nasceretur impedimentum publicæ honestatis: sed durum est innocenti, qui metum passus est, tale onus imponere, quo ejus libertas citra omnem culpam restringeretur; ergo.

Ad 1^{um}. R. *N. Ant.* Nullus enim textus juris afferri potest, quo irritum declaretur tale votum metu injusto extortum; et a constitutione, qua professio metu extorta irritatur, tanquam restringente jus naturale duci non

debet argumentum ad votum ingrediendæ Religionis metu extortum. Instantia, vel retorsio est in exemplis supra allatis de matrimonio clandestino, etc.

Ad 2^{am}. R. N. Ant. Nam regulariter valet, et obligat omne juramentum, quod sine peccato impleri potest, arg. c. *Quamvis*. de pact. in 6. sed matrimonium licite et cessante metu valide iniri potest, etiam vi juramenti.

Ad 3^{am}. R. C. seq. Maj. D. min. Est durum hoc onus imponere sine sufficienti causa et sine jure C. his habitis N. Hoc onus imponitur a jure; jus enim hoc impedimentum annectit sponsalibus validis, sponsalia vero metu extorta nullibi a jure invalidantur. Deinde licet metum passus careat culpa, non tamen sine ejus consensu hoc impedimentum contrahitur, eo quod, licet ex metu contrahat sponsalia, illa tamen adhuc libere contrahat.

ARTICULUS V.

QUIBUS EX CAUSIS SPONSALIA DISSOLVI POSSINT?

249. *Dico 1.* Sponsalia non solum morte naturali, quæ ipsum etiam matrimonii vinculum solvit, sed et superstite utroque desponsatorum multis ex causis dissolvi possunt.

1^o. Sponsalia puberum mutuo consensu solvuntur. c. *Præterea* 2. h. t. Ratio est, quia obligationes, quæ consensu contrahuntur, contraria voluntate dissolvuntur §. fin. Inst. quib. mod. toll. obl. Et generaliter omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. c. 1. et L. 35. ff. de R. J. intellige, si res, vel obligatio ex natura sua solubilis sit, ut sunt sponsalia; atqui hæc mutuo consensu nascuntur. Deinde sponsalia licet via sint ad matrimonii sacramentum, non tamen excedunt limites contractus humani; ergo, sicut iste, mutuo consensu solvi possunt. Idque etiam locum habet in sponsalibus juratis; quia hoc juramentum non obligat nisi in partis commodum, qua proin obligationem remittente, tollitur juramenti materia. Et quia invito non datur beneficium, L. *Invito* 70. ff. de R. J. juramento omni, quod in favorem, vel bonum hominis præstitum est, inest facta conditio: *nisi ab hoc remittatur*.

2^o. Ipso facto solvuntur per *matrimonium* cum alia vel alio valide, licet illicite contractum. c. *Si inter* 41. de Sponsal. c. 1. de Spons. duor. Et ratio est, quod inter duo vincula incompatibilia teneat illud, quod fortius est, rupto, aut suspenso interim debiliore; matrimonium vero cum sit indissolubile, et conferat jus in re, fortius est; ergo illi cedunt sponsalia. Dixi 1^o. *per matrimonium*. Non enim solvuntur per sponsalia posteriora, licet jurata, cum valida esse non possit promissio rei jam alteri ex justitia obligatæ; juramentum vero obligare nequeat in præjudicium tertii c. *Cum contingat* de Jurej. Dixi 2^o. *aut suspenso*; quæstio enim est inter Doctores an per sponsalia de præsentibus, vel matrimonium ita solvantur sponsalia de futuro, ut sponsa de præsentibus mortua (idem est de sponso de præsentibus) vel ante matrimonii consummationem ingressa Religionem, sponsus non teneatur implere tunc sponsalia de futuro prius inita? Non teneri docent Sanchez L. 1. Disp. 48., Layman L. 5. Tr. 10. p. 1. cap. 2. ea moti ratione, quod sponsalium de

futuro initorum obligatio per sponsalia de præsentibus extincta sit, c. *Sicut* 22. et c. *Si inter* 31. Obligatio autem semel extincta non reviviscat L. *Qui res*. 98. §. 8. ff. de Solutionib. *Confirm. a pari*. Votum ingrediendi Religionem strictiorem extinguitur absolute per professionem in laxiori c. *Qui post*. 5. de regular. in 6. Ergo etiam sic extinguuntur sponsalia de futuro per sponsalia de præsentibus. Verum teneri adhuc sponsum ad priora sponsalia de futuro inita implenda docent Coninck Disp. 23. Dub. 4., Wiestner Instit. Can. Lib. 4. Tit. 1. aliique, et recte; quia nullo jure habetur ea vis sponsalium de præsentibus extinguendi priora de futuro. Non *naturali*; quia juxta hoc obligatio illa potest consistere cum matrimonio, saltem quatenus respicit tempus illius per mortem dissoluti; eamque eo casu tantum suspendi conveniens est, ne violans fidem datam ex sua malitia commodum reportet, et pars innocens læsa privetur suo jure pro eo casu, quo ejus usum nihil impedit. Nec *positivo*, quia in cc. cit. solum dicitur matrimonium esse validum; minime vero priora sponsalia omnino extinguuntur; unde sicut ligatus voto Religionis, si ineat et consummet matrimonium, non liberatur omnino obligatione voti, sed tenetur adhuc mortua conjuge implere votum, quantum potest; ita hic. Item qui e. g. equum vendidit secundo alteri et tradidit, licet emptor secundus per traditionem acquisierit jus in re et dominium; si tamen equum reddat venditori, hic adhuc equum tenetur tradere emptori primo; sic in nostro casu. Quoad votum vero ingrediendi Religionem strictiorem disparitas est; quia per votum *simplex* Religionis strictioris, et per *solemne* in laxiori fides non est data diversis sed eidem, scilicet Deo; cui quia actualis sui traditio per professionem in laxiori est gratior, quam simplex promissio ingrediendi strictiorem, ideo declaravit Ecclesia c. *Qui post*. cit. extingui votum ingrediendæ Religionis strictioris per actualem professionem in laxiori; sed contrarium est in nostro casu.

3^o. Per lapsum temporis matrimonio ineundo præfixi, si nimirum hoc præfixum sit obligationis finiendæ causa, c. *Sicut* 22. h. t. Et quidem solvuntur ex utraque parte sive si sine ullius culpa, sive si ex utriusque culpa intra illud tempus matrimonium secutum non est; ex parte vero innocentis solum, qui paratus erat ad nuptias, si hæc secutæ non sint ex mora alterius sive culpabili, sive inculpabili c. cit. Ratio est, quia terminus ille fuit adjectus per modum conditionis, qua non impleta cessat obligatio; nec sponsi intenderunt ultra illum terminum se obligare. Nec obstat, quod tempus non currat legitime impedito, c. *Quia* 5. de concess. Præb. et L. 1. §. f. G. de annali except. legitime autem impeditus censeatur, cujus mora est inculpabilis; nam licet legitime impedito tempus non currat ad contrahendam pœnam legalem, vel conventionalem juxta c. et L. cit. currit tamen ad tollendam obligationem, si lapso tempore deficiat conditio, cui promissio alligata est, c. *Sicut* c. cit. et L. *Si convenerit*. 14. ff. pro Socio. Et ita se hic res habet.

Dixi: *Si præfixum sit obligationis finiendæ causa*. Secus enim est, si certum tempus obligationi solum urgendæ et implendæ præfixum sit, h. e. ita, ut ultra præstitutum tempus neutri differre liceat impletionem, sicut debiti pecuniarii solutioni solet tempus præfigi; tunc enim lapso tempore manet obligatio implendi ex utraque parte; nam duplex tunc datur obligatio, una absolute contrahendi matrimonium, altera non differendi ultra